

nato Rheda Casu oppressus, vel, si generalis quædam notio admittenda, quicquid cadit, contingit, vel accidit. Familiare vero sibi reddiderunt hoc vocabulum Professores artium, primò Grammatici illo exprimunt formas Nominum, quæ variant per recti & obliqui indicem; secundo Oratores & Poeta, Calamitates & infortunia hæc voce plerumque designant: sic Quintilianus, lib. I. cap. 10. Casu deterritum dicit, Cicero: infestum casum, & feralem; Tacitus: Rempublicam in Casum dare; Virgilius: durum, acerbum; infandum Casum; Seneca in Hercule furente: horrendos casus fari; sinistrum Casum, Statius; tertio Philosophi Eventum, vel id quod citra Electionem accidit, Casum nominant, de quo videndus Aristoteles 2. physic. 6. textu 60. unde Boethius: Casus est inopinatus rei Eventus, quod exponit Bonaventura scribens: duo dicit Boethius, & positionem & privationem: positionem in hoc, quod dicit Eventus; privationem per hoc, quod dicit Inopinatus. Et illa quidem privatio non est respectu DEI, quia DEUS nihil potuit facere inopinatio sive improvisò, nec etiam à DEO est, cum sit defectus, sed potius à defectibilitate creature, consulatur quoque Thomas I. p. q. 116. art. 15 quarto Medici casum accipiunt pro Morbo vel symptomate; Ita Celsus lib. 4. cap. 20. scribit: deinde ubi ad se redit, circumcidendum vinum est in totum annum, etiam si Casus idem non revertitur; & idem Celsus pro periculo, scribens: præcipue in hoc casu petendum non à Medicamentis solis, sed etiam à victus ratione præsidium; quinto Jurisconsultis notat Quæstionem omnem de jure propositam, sive controversam factam, de quo videndi Cicero, Seneca, Hotomannus Schar dius & alii; quanquam etiam in Jure non una occurrat hujus vocabuli significatio. Denique sextò Theologi hoc nomine intelligunt Quæstionem aliquam practicam maxime de moribus, vel factis speciem, quæ in disputationem incidit, quæ ab aliis Casus dicitur vocari, quia cadere solet in hominum vitâ, & Casus Conscientiæ, quia cum cadit, conscientia debet de eo cum maxima cura judicium ferre.

IV.

Non multum solliciti sumus primò de illâ acceptione vocis, qua adhibetur ad ruinam Angelorû aut primi hominis, cum & rarior, nec à nostris Theologis frequentata, atq; huc non pertineat, quanquam apud Augustinum legatur: omnis homo casu sic ambulat: quia præceps est in Vitium. Nec secundò de illa, qua peccatum notat, quo quis à virtutis rectitudine cadit, quo significatu usurpata à Pontificis

Docto-